



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quòd Deus dedit nobis parentes ideò, vt sint nostri domini loco sui, id est, Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

qui in diebus pacis obliuiscabantur Dei, & dediti omni voluptati, non agnouerunt tempus visitationis suæ: & de quibus Hierem. 6. dicit, quòd securi clament, pax pax, & tamen non erat pax. Abusus ergo pacis apud populū est causa dissipationum Regnorum ac sæuissimorum externorum hostium occasio. Fit quoque aliquando propter ambitionem, auaritiam ac rigiditatem principum, sicut punitur Achab rex, quòd alienam vineam appetiuit, 2. Reg. 21. Regnum Israël dilaceratur propter idololatriam Salomonis, tertio Reg. 11. Roboam punitur, eò quòd noluit partem tributorum remittere, 3. Reg. 12. Sic Salomon in prouerb. 28. propter peccata populi multi sunt principes, & propter malos mores populi Deus dat infelices principes & hypocritas &c. Honorandi porrò sunt Magistratus & rectores, non precipuè quòd de alto genere nati, sed quia locum Dei tenent.

CAPVT XI.

ARGVMENTA.

1. *Quòd Deus dedit nobis parentes ideò, ut sint nostri Domini loco sui, id est, Dei.*
2. *Quæ sint magna bona, quæ Deus nobis per parentes nostros facit.*
3. *Quòd non solum sanos, sed etiam infirmos & senes parentes honorare debemus, & illis benefacere, ut simus capaces promissionis Dei.*

Deus præcepit honorare parentes, Exo. 20. Quia ipse proposuit & dedit nobis eos in Dominos nostros, qui locum suum teneant erga filios. Non enim casu fit, ut hic sit tibi pater, & hæc tua mater. Deus sic ordinauit & disposuit, atq; hæc est immensa Dei

fa Dei pietas erga genus humanum. Ipse dat parentes per quos nos creat & nutrit: dat Angelos, qui custodiant, seruent atq; seruiunt, Hebr. 1. Mat. 8. d. nat nobis Christum redemptorem, per quem nos saluat, Ioan. 2. Debemus ergo his Dei donis maxime honorem & gratiarum actionem Deo, atque ex animo petere, vt Deus nobis hæc conseruet, quàm maxime ipsos parentes. Multa enim incommoda habent Orphani pueri & derelicti à parentibus. Tùm autem nobis Deus illos cõseruat, cum eos colimus & timemus, si quando irascuntur, ne iram illorum contempnamus, quandò illis debitam obedientiam præstamus. Sæpè etiam priuat Deus filios parentibus, propter illorum contemptum & inobedientiam: aut parentes, aut contumaces filij antè diem moriuntur, nam habet hoc præceptum promissionem longæ vitæ. Ideò vult Deus, vt honorentur parentes propter suum præceptum & donum, quia ipse nobis parentes dedit.

2.

Secundò, sunt multa bona quæ nobis Deus confert per parentes: ideò maxime vult, vt honorentur illos, primùm, quia parentes sunt instrumenta, quæ nos Deus creat, & in mundum nasci facit. Quandò enim iam Deus creat hominem, non accipit materem & matrem, & finit eos procreare proles: sic est opus bonum, quod Deus per parentes nobis facit, quia creat nos, & donat nobis vitam: hoc non possent facere vir & mulier, nisi Deus sic ordinasset: ipse crearet filios: quibus enim non vult dare prolem, illi manent steriles. Sæpè etiam sancte steriles intrarunt precibus à Deo fructus, sicut Anna 1. Reg. 1. Et Sara Gen. 15. Alterum bonum opus quod Deus nobis per parentes facit, est quòd nos, postquam nati sumus, enutrit. Non enim dat nobis cibum de celo, sicut patribus olim Manna in deserto, sed de